


Q.K.
404,
17

X 1903692 16.



SIMONIS STAROVOLSCI
AD PRINCIPES
CHRISTIANOS
De Pace inter se componenda
Bellóq; Turcis inferendo
PROTREPTICON.



Serenissimo atque eminentissimo

CARDINALI

JOANNI CAZIMIRO

Poloniæ & Sueciæ PRINCIPI,

Bono Republicæ Christianæ Nato.

T primum ingenij mei fætum, de rebus gestis,
Divi olim Sigismundi Primi, Regis Poloniæ, Proavi tui
materni, conceptum, tua Serenitati dicavi, Cardinalis
Eminentissime, cum tu adhuc puerulus es, ita & hunc
postremum, de ineunda Principum Christianorum con-
cordia, haud inutiliter, ut auguror & spero, meditatum, Sacra tuæ Pur-
puræ dicatum sacramentumq; esse volui. Partim, ut nontam tibi, qui Regia in
Purpura natu es, quam orbi Christiano gratuler istam felicitatem, quod
ab angusta cella, cuite ob' pietatem incluseras, in augustam Ecclesiæ lucem
jussu Pontificis Sanctissimi prodieris; non modo Societatis tuæ, sed etiam
totius Ordinis Sacri columen & ornamentū. Partim, ut quantulamcung
hanc opellā meam sub celeberrimo, & in religione, & in seculo, nomine tuo
bonis mentibus insinuem, & non tam ad manus, quam ad pectora Principū
Christianorum transmittam. Quò tandem, reconciliatis inter se animis,
desistant à profusione sanguinis civium suorum, tegi sacrato, aut armato
suasore, qui arcto sanguinis vinculo conjunctus illis & Pontifice Maxi-
mo duce atque auspice (qui, ut Christi præest Ecclesie, ita omnibus, qui
Christiano censemur nomine, prodeesse cupit.) suas suorumq; facultates ac
vires infensissimo totius nominis Christiani hosti, Turcarum, Tyranno
quantocius opponant. Et subjugata ab eo, tot jam Christianorum regna &
provincias, fortibus suis dextris in pristinam libertatem asserant; vera
pietatis

A 2

pietatis amore, ver & gloriae gusto, & fama immortali excitati. Maxime
vero, dum nulla provocatus injurya, sola cupiditate dominandi, ingentes
nunc in socios nostros & vicinosterra mariq; duxit exercitus; & bello ci-
vili distentos facilis singulos superet, qui conjunctis viribus omnes, ipsum
facillimè vincerent. Cavendum itaq; est cunctis Principibus Christianis,
ne, dum pro religione aut regione aliqua exigua inter se pugnant, reliquūs
in qua dominantur Europæ per Turcas, & deinde post obitum, per odia &
iras merita & gloriam cælestem amittant. Quod leves illi & inconstan-
tes Asiae populi, temerarii q; Græci & Hungari nunquam serio libertate u-
tentes servi nunc tandem facti, sero secum ipsi recognoscunt: nec possunt
modum invenire, quanam ratione amissam libertatem recuperare, Otto-
manicumq; jugum excutere valeant. Quorum miseria si tu, Princeps se-
renissime, ex animo, ut debes, commotus fueris & in reconciliandis Regibus
Christianis diligentem operam navaveris eorumq; liberationi manum tu-
am fortem ad moveris, supra omnes Reges & Imperatores huic sacrae tue
Purpuræ in cœlis coronam adjunges. Interim vero non ab ipsis modò Ordini-
bus Regni Poloniæ, qui te fratrem sui Regis omni veneratione & amore
complectentur, sacrâ purpurâ ornatum, sed ab omnibus hominibus, qui vel
pacem sub Principibus suis optant, vel libertatem sub jugo barbarorum
gementes desiderant, omnis debebitur tibi gratia nominisque apud poste-
ros gloria sempiterna. Quam tibi Sarmatæ vovemus, & ex animo ap-
preciamur. Vale & vive, Princeps Serenissime, Ecclesiæ, Reipublicæ,
Nobis.



SIMO-

SIMONIS STAROVOLSCI
 INNOCENTIUM X.
 Pont. Opt. Max.

De Concludendo in Turcam Sociali fædere.

ORATIO I.

Vetus ac verissimum illud proverbium est, Beatissime Pater, civili bello nihil incivilius esse, quod inter Principes ac populos potentissimos, aut vindictæ privatæ cupiditate, aut lubrica & præcipiti ambitione, aut temeraria denique seditionum hominum rebellione excitatur. Et tantò indignius funestiusq; cùm inter Christianos, qui Pacis Autorem Christum Deum adorant, malevolentia turbulentorum vires suas sumit. & indies magis atque magis per Europam gliscit. Nam sive turpidinem rei quis consideret, fratres nimirum, Consanguineos atque necessarios inter se decertare: sive periculi magnitudinem contempletur, gentes viribus, opibus, fortitudine ac ingenio, potentes invicem collidi: sive prælii ferocitatem, religionis professione, lingua Origine, morumque cultiorum similitudine, haud valde differentes mutuò perinisceri, animo secum ipse perpendat; omnia profectò intestinis odiis funesta videbit, ipsamque victoriam in bello funestissimam quantumvis bonus & moderatus Princeps ipsa potiatur. Insolescimus siquidem rebus secundis omnes, & modum tenere nescimus; sed maximè Reges, cùm acie adversarios superaverint suos. Cùm naturæ occultâ malitiâ quidam eveniat, ut non ita in alienigenas & remotos, quam quodammodo in suos cives vel vicinos iracundia excitatur victoris. Ea propter cùm omnia bella fugienda sint bonis, quia minimè bella, tum intestina maximè: idque nobis Christianis pouissimum, qui omnia patientiæ & lenitatis exempla,

A 3

à Sum-

à Summo Magistro nostro Christo accipiemus, ejusque divinis mandatis obtemperare vel ipsa religione obstricti, mutua dilectione, quam nobis maximopere abiens in cœlos commendavit, inter nos certare invicem debemus: si, q̄ omnes vovemus & speramus, cum illo, uti Rege nostro Pacifico in æterna illa tranquillitate vivere desideram⁹. Qui nunc omni spe salutis, vel contempta per summum scelus, vel desperata prols ex conscientia criminum contrariis artibus & partibus ad interitum properamus. Sed tuá, Pontifex Sanctissime, paterná indefessa vigilantiā, perspicaciq; prudentia & autoritate ab exitio revo- carī, uti auguramur & ipem certam concipimus, iterū ad Pacis Auctore conversum, iterū fraterno amore devinciemur: deponemus iras ferales, ab Heresi furenti subministratas, cohíebimus cupiditates nostras, ab impietate Atheistica succensas, rabiem à prædonib⁹ Christianitatis haustā exueinlus. Tu modò, Dux noster & Pastor vigilantissime, ut lubens universi gregis Christi curam in te suscepisti, sic Atlantico robore molē totius Orbis Christiani tuis humeris gestare nō desistas, & laborantib⁹ per tota lustra Principibus inter se bellis ac dissidiis domesticis, pacem & Amnistiam universalem indicere non detrectes. Dabit vires & Consilium cœlitus, qui Orhem hunc verbo creavit, teque ejus præsidem esse voluit, & qui nunc precibus nostris exoratus, ita te vult esse preciosissimæ in terris rei Pacis arbitrum & conciliatorem, uti voluit & constituit cœlestium thesaurorum suorum dispensatorem. Nunquam enim unum absque altero diyinitus beneficium datur; & in gratos felicitas felicitate cumulatur. Proinde hoc beneficium Flamine Sacro adspirante, præstabis Orbi, ut incipiat tuo sub regimine quiescere à tumultibus civilibus & fraterno affectu sub tam benigno patre & innocentissimo Præside discat mutuum amorem & reciprocam affectionem. Nec adeò etiam factu difficile, Reges Christianos conciliare, si quam ex diuturnis odjis contraxerunt ferociam animorum, eam te auspice transferant in Turcam per bellum sociale.

Revera enim, Pater Beatisse, nulla res magis arridet uni cupido, quam cum certaverint inter se duo ambitiosi, ut ille occasionem naestus, bolo, quod ajunt, potiatur solus. Nullaque optatior occasio Byzantino Tyranno, quam civilia isthac Principum Christianorum bella, quæ patrum, aut avorum nostrū memoriā tot urbes & provincias, tot regna & imperia, clādibus affecerunt; tot priyatorum domibus & facultatibus exitio fuerunt; tot florentissimas Respublicas stirpitus everterunt. Quibus furiis & nos infelices posteri eorum exagitati, tam diu inter nos colluctabimur fortè (quod omen malum Deus avertruncet) donec tandem jugum à Turca cunctis imponatur servitu-

tis,



tis. Nescit siquidem rabies modum; & civilibus motibus petratō non inficiatur aliquis vicinus, perpetuam ultionum considerans vicissitudinem: ut poterit cū nullus utrinque finis imponatur nocendi, & nunc exsultet victor, nunc vicitus ad persequendum hostem inflammetur. Jam autem barbari semper gerendis rebus, bellorum nostrorum civilium occasiones captant, & inter illos præcipue viciniores nobis Turcæ, qui vel ad unicum contra eos nobis initæ ant ineundæ concordiæ nuncium, quidquid increpuerit, cum metu & horrore circumspectant. Statimque aut fædera ineunt, aut debilioribus subsidia & patrocinium contra potentiores promittant. Atque ita juxta vetus illud Nasicæ dictum, eos, qui externis vinci armis simul uniti non potuissent, divisos tandem sub jugum mittunt aut tributarios sibi faciunt cum exitio & ignominia Christiani nominis sempiterna: Exempla cuique patent, res eorum diligentius legenti. Nam, sicut olim Romani per Campanos in Samnum; per Mamertes in Hetruriam; per Siculos in Siciliam; per Athenienses in Græciam; per Saguntos in Hispaniam intrarunt, & ex civitatibus sociis, subministrando illis auxilia contra exulos earum, servas sibi fecerunt. Sic & Turcæ, per Contaguzenos in Pruziam, per Paleologos in Thraciam; per Despotos in Rasciam & Bulgariam; per Joannem Sepusum in Hungariam sibi adiutori patefecerunt. Dandoq; Imperatorib; Constantinopolitanis subsidia, contra tumultuantes Principes, Græciae Provincias facile occuparunt immanissimosq; fecerunt laniatus. Debilioribus enim contra potentiores defendendis, partim quedam æquitatis & cõmiserationis species; partim cõpendiaria via proferendi est dominat. Quibus artib; & Ægypti Soldan; opportunè usus, quas nō turbas cum suis Mameluchis dedit? quas clades & detrimēta Reipublicæ Christiana non intulit? qd non eorū, quæ à Majoribus suis tentata antea fuerant in Oriente & Palæstina, fortissimè celerrimèq; subjugavit? Econtra nostri, toties rerum in barbaros gerendarū occasiones neglexerunt; & conjuncti toties, vincere quidem potuerunt, sed victoriā uti nesciverunt ob frivolas unius de altero suspiciones, aut inanes de Principatu disceptationes. Nonnulliq; nostrorum provincias, quarum nondum erant victores, inter Socios jam partiebantur, priusquam aut pactiones inter se iniissent, aut pedem domo ipsi cum exercitu extulissent. Sicque à capta Constantinopoli, nostri semper Oratoribus, & Turcæ bellatoribus; Nostri subtilitate disputandi, illi verò peritiā bellandi; Nostri Comœdiis exhibendis, illi Tragædiis faciendis delectantur. Apud Nos vitiosum regnat otium, apud barbaros armorum negotium; nos in Scholis Syllogismis, illi in campo decertant hastis: nos tempus insunimus Comis,

tiis, illi scribendis & lustrandis copiis. Apud nos nova quotidie pullulat religio, ab illis quolibet anno aliqua nova possidetur regio. Nos bellis exhaudimur, illi locupletantur assiduè; nos perdimus provincias, illi acquirunt regna. Et dum apud nos ultro citroque de ineundo fædere consultatur, ab illis semper aliquid vobis videntibus & dormientibus occupatur cum æterna ignominia & exitio nominis Christiani, Qui crucem quidem Christi circumferimus & adoramus, sed Nomen & Numen ipsius Sanctum blasphemamus: religionem Catholicam profitemur, sed pessimis moribus & exemplis illam negamus. Arma in hostes Fidei induimus, sed operibus infidelium communicamus. Equestres ordines instituimus, sed equitandi peritiam non habemus: peditatum instruimus, sed otio & deliciis corpus enviamus: solerter castra metamus, sed in illis bacchanalia celebramus, purgamenta Urbium in militiam scribimus, & nec Caniculæ fervorem, nec frigoris intensionem, aut penuriam egestatis ferre discimus: die noctuque potamus, scorta & pueros meritorios circumducimus: Castrensem disciplinam non servamus; exercitationes armorum vel nullas prorsus, vel paucas habemus; Icelere & turpitudine, raptu & Latrocino, crudelitate in Nostros, metu in hostes, impietate in Deum infames sumus. Et quod omnium pessimum est, inani confidentia Nostri, hostium contemptu & ignava cunctatione omnia bella cum barbaris perdimus; qui celeritate rerum gerendarum, militari ausu & temporis commoditate usi, sepius inopinatè eos oppresserunt, qui se Orbum debellare posse vanè opinabantur. Sic parva manus Sarracenorum erat, cum turpi Machometis superstitione infecti fuerunt, & quot postea regna in Africa non possederunt? quot populos in Asia non debellarunt? quot provincias & urbes in Europa non afflixerunt? Parvus numerus erat Abarorum, cum à Tauto monte venientes, Orientis Imperium infestare cœpissent, & contempti primò à Græcis, qui suis Phalangibus nimùm superbiebant, quas non molestias deinde Imperatoribus dederunt? Quid Herulorum perexigua cohors, quæ precariò primò in Castris Romanorum merebat, nonne evertit deinceps totum Imperium Occidentis, & Urbein ipsam mundi Caput? nonne dissipavit & perfregit potentissimas legiones Romanorum; quæ Orbi universo catenas injecerant. Taceo posteriorum temporum congregatas licentiosorum hominum turmas, quæ à Regibus contemptæ fortissimos deinde illorum exercitus profligarunt, Spartacum Hispanicum initatae. Taboritas illos, qui Sigismundum Imperatorem toto ferè Bohemicò regno ejecerunt. Geuzios in Flandria, qui Hispaniæ Regem potentissi-



tentissimum, parum absuit, quin toto Belgio spoliassent. Hugonottos
 in Gallia, Protestantes in Germania, Rusticos denique in Austria & Hun-
 garia, aliósque nefarios homines, in aliis regnis & provinciis ex colluvie
 plebis congregatos. Quos quia initio contemnebant Principes, & tem-
 pestivè neglexerunt extinguere, infinitas deinde molestias & damna ab iis
 sunt perpeſi, maxima cum ignominia suæ gentis. Atque ita semper ma-
 leficia impunita, congerie scelerum interitūque regnum & provinci-
 arum divinitus castigantur. Ubi enim magistratus nequiverit, aut no-
 luerit, ibi supremus rerum moderator Deus incipit castigandis malis vim
 suæ exercere æquitatis. Sic & Turcas, qui nunc Nobis formidabiles sunt,
 castigandis Christianorum peccatis è Tartaria magna misit; quos cùm initio
 Græcanici Cæsares vel unico prælio delere potuissent, non enque ipsum ex-
 tinguere facillimè, eos in rebelles sibi Dynastas tantò libentiùs mercede
 conduxerunt, & in suis provinciis sub Andronico Imperatore foverunt,
 quantò incautiùs sibimetipsis, unà cum adversariis exitium acceleraverunt:
 ubliti Gottorum & Longobardorum, à quibus, in militiam suam evocatis,
 toto ferè Occidente fuerunt spoliati. Eratque toties optima occasio post-
 ea delendi hosce juris divini humanique prædones, cùm nondum in formi-
 dabilem potentiam excrevissent, sed neglexerunt Græci ea occasione uti, quòd
 nimùm suæ potentiae, uti diximus, fidentes, hostem extorrem atque va-
 gabundum facilè contemptui haberent. Collabente verò Imperio Con-
 stantinopolitano, reliqui Reges, qui longè ab ipsorum vicinitate remoti e-
 rant, maluerunt domestico bello cum ignominia sua tumultuari, quām re-
 ligionis & regnorum suorum hostes cum gloria & fama immortali delere.
 Prout & hodie sextum jam lustrum tumultuantur, minimè considerantes,
 quòd non diffundendo, sed Christiano sanguine sarta rectaque Respublica
 conservatur. Quorum discordias, & ignava in hostem Crucis Christi con-
 silia, dum paulò diligentius, Pater beatissime, consideraveris, ac præsentem
 Europæ statum ad tuæ Canæ prudentiæ trutinam examinaveris; non aliam
 ob causam neglectam ab illis Turcarum præsentem, in Venetos expeditionem
 videbis, nisi quòd Antecessorum suorum exemplo, inani quadam confiden-
 tia sui turgeant barbarorum vires & potentiam contemnant: & ob concepta
 inter se odia eò acerbiùs sœvientes, pericula imminentia non prospiciant;
 & opportunam interimendi nunc cruentam istam bestiam Byzaninam occasi-
 onem non arripiant. Cùm & ipsi omnes sint in armis, instructissimosque
 mari & terra exercitus habeant, & cùm ille nunc compluribus vicinis suis,
 rumpendi fœderis occasionem, ultrò imprudens dederit. Jam autem longè

B

à sua

à sua domo flammam arcere, magnæ semper fuit prudentiæ & consiliī doctrinæ
mentum. Communiq[ue] opera & viribus facilius evertitur ab omnibus, qui
singulis est nimium formidabilis. Quod utinam Turcico Tyranno hac no-
stra ætate eveniat, & patricidalis Ottomanorum familia, aut mole sua ruat,
aut te Duce & auspice, Pontifex Sanctissime, tandem aliquando evertatur.
Qui ut in innocentia tua solium Pastorale ingressus es, ita innocuas oves tuas,
precioso Christi sanguine redemptas, ab Asiatico Dracone isto liberare non
desistas. Qui videntibus & negligentibus Nobis, quotidie vicinius fit Occisi-
denti: tantò nunc magis formidandus, quantò Caneá captá (verendum valde,
ne & Candia) major aditus sit haud dubié ipsi in Italiā patefactus. Quæ &
in regno Neopolitano eosdem nunc sinus habet, quos olim Machometes II.
mare cum exercitu trajicrens, Hydruntum occupaverat: & in Foro Julii, ean-
dem planiciem terræ, per quam sub Selymo III. Turcicus incurrerat equitatus.
Timendumque valde, ne Classibus adversis mare inferum percurrentibus, ab
Austro barbarus superveniat, & Siciliam, Corciram, aut Melitam invadat, i-
psamque provinciarum reginam Italiā aggrediatur, qui perpetua cupiditate
possidendi Occidentalis Imperii ardet.

Nunc igitur, dum undique impendent Orbis urbi pericula maxima, ex-
pedit Christianorum omnium Pater Beatissime, animos viresque in barbaros
arma infesta induere suis, Sociorumque regnis & Provinciis defendendis.
Agitur enim hic Christi Opt. Max. causa, pro qua non modò opes, sed & vitam
ipsam profundere debemus esse parati. Agitur publicus Christianorum o-
mnium honos, ne videntibus Nobis Respub. Christiana à barbaris impunè
laceretur, ne ve homines clari & Nobiles, ab obscuris & egentibus; industrii
& militares ab imbellibus; culti & elegantes ab agrestibus; & liberi à manci-
piis subjugentur. Aguntur denique fortunæ omnium nostrum & negotia-
tiones gentium, quæ unâ illa quiete & tranquillitate continentur: quain per
idoneos legatos tuos, per universam Europam dimisso, Orbi Christiano pre-
stabis & incolumentem paries. Hoc à te, Pater Beatissime, tota plebs Ortho-
doxa expostulat. Hoc Principes Catholici orant. Hoc florentissima tua
Italia exspectat. Hoc ipsa Urbs Roma, Patria Tua charissima, flagitat. Hoc
cuncti probi bonique palmis suppliciter protensis, per munus tuum Pastorale
obseerant. Sed præcipue populi illimiseri, sub gravissimo Ottomanige-
narum jugo positi, ad pedes tuos beatos provoluti ingeminant. Miserere,
Pontifex Sanctissime, calamitates nostras & exaudi lachrymas servitute Mu-
sulmanica oppressorum, qui Religione, libertate & fortunis omnibus spoliati,
non liberos ingenuos educare, non sacra ritu Christiano possidere, non hone-

statis



statis curam, aut literarum amorem, non industriae aliquod exercitium, aut
 denique proprii corporis potestatem habere possimus; sed jumentorum in
 modum tractamur, libidini barbarorum exponimur, superstitioni machome-
 tanæ addicimur: filios in Janitzaros, filias in concubinas tribuimus; nec
 quidquam in usibus, præter aërem, quem spiramus, liberum habemus.
 Verum & hunc sæpius in carcere pro libitu sanguinem fœtidum, in servi-
 tiis Castrenibus contagiosum, in triremibus frigidum vel urentem, in
 urbibus pestilentem, in pagis vel ipsa solitudine nocivum. Et quoquo nos
 vertimus, nullum solatium, nullam spem meliorum videmus; ubique mors,
 ubique luctus, ubique desolatio. Undique percutimur: undique a-
 maritudinibus replemur. A quibus, nisi tua ope, Pontifex Sanctissime, libere-
 mur, non apud circumcisos modò Musulmanos, sed apud inferos etiam æter-
 na mancipia erimus. Proinde te Patrem nostrum & liberatorem per ejus
 Nomen rogamus, cuius in terris Vicariam potestatem tenes, ut nos hereditas-
 tem illius, nece ejus atrocissima & sanguine comparatam, ex faucibus canum
 Machometanorum eripias. Ut principes Eutopæ, qui impiè ferrum in
 Christianos nefarium stringunt & in Crucis hostes recondunt, ac pro angu-
 stis terminis inter se digladiantes, à barbaris ipsi amplissimis provinciis spoli-
 antur, in vindictam nostræ injuriæ concites, regnaque amplissima à fœda &
 vili gente Turcica possessa, unà cum sepulchro Domini, in libertatem & pri-
 stinum splendorem asperas. Et cùm omnium Christi fidelium sis Commu-
 nis Magister & Moderator, docē Nos Cœlestem illum Patrem, cuius nos
 quoque indigni filii sumus, animo cum reliquis in libertate constitutis, con-
 cordi, & voluntate consentienti exorare: ut post hasce miseras, quas in
 servitute sustinemus, regnum illud donet, in quo est Pax, concordia & tran-
 quillitas sempiterna felicitasque & satietas incenarrabilis. Quó ejus videli-
 cet beata visione fruamur, qui pacem Nobis dedit, cùm in terris nobiscum
 esset, pacem in Cœlos abiens reliquit & ne in perpetuis versemur dissidiis,
 symbolum amoris corpus suum omnibus nobis ad vescendum præbuit. Quod
 ut ex altari Dominico sumamus & unà cum reliquis Orthodoxis in ovili uno,
 cui præs Pastor, à servitute, quâ nunc premimur, liberati satiemur, votis ite-
 ratis & calidis suspiciis optamus.

Talibus igitur ac longè lachrimabilioribus populorum, in servitute
 Turcica gementiū, vocibus, patere exorati, Pontifex Optime ac Beatissime,
 & cura conciliandorum Principum alacriter suscepta, cave imitari illum
 Antecessorem tuum, qui petentibus auxilium Rhodiensibus, sanctum Petrum
 pauperem esse, nec quidquam facile opis ferre se ipsis posse, respondit: atque

ita insulam celeberrimam, exsulum perfugium, è Turcica servitute enatantum
asylum sacrum, naufragorumque receptaculum sua tenacitate amisit. Aut
illum impotentem alteruni, quo regnante, ac nihil de pace Christianorum
curante, non modò Ägypti Syriæque accessione, Selymus Turcarum Tyrannus
fuit auctus: sed tota etiam Italia, cruentissimo illo ad Ravennam prælio
fuit funesta: cùm & Cæsar Borgia interim horribilem hominum cædem &
stragem passim ederet. Sed, ut primo statim Pontificatus tui anno oppressos
ab impietate Calvinistica, veros Ecclesiæ filios in Anglia & Hybernia ope tua
juvisti, ita & in Turcica servitute positos, ea qua polles pietate & Sanctimo-
nia juvare, & ad pia pro Nomine Jesu capienda arma populos Christianos a-
nimare non desistas. Ut nemo, qui Christianus esse & haberi velit [licet op-
pinione à vera Ecclesiæ doctrina dissideat] otiosum spectatorem alienæ calamiti-
tatis se præbeat. Nemo istam in Turcas belligandi occasionem omittat.
Nemo suam sociorūmque salutem prodat. Nemo Christi & ejus Crucis ho-
stes, capit is etiam periculo debellare, si salvus esse velit, extimescat. Nemo
ad gloriam & amplitudinem natus, à vilibus mancipiis se opibus, libertate &
dignitate spoliari patiatur. Sed quantocius monstret barbaris Nobilitatem
suam generosam, imbellibus rusticis militarem fortitudinem, mollibus Asiati-
cis invictum animi robur; & vaferrimis Agarenis constantiam animi
Christiani castrensisque disciplinæ peritiam.

Et quamvis non perquam omnia Christiana regna rabiei Musulmanicæ
sunt obnoxia, compluresque pacta cum Tyranno Asiae habent aut pacis fœ-
dera antiquæ colunt, providendum tamen iis tempestivè est, ne his & illis
principio subjugatis, & reliqui, qui in Stationem succendent, evertantur.
Plerumque enī accidit, ut Tyrannorum noī priū cognoscantur artes,
quā in numerum exercuerint vires, quibus haud ita facile illius eam iam
viciniam subjugaverit. Tur' verò sive bello nostris sit inferior, sive superior,
occupandis certè Christianorum Urbibus & regionibus nunquam finem fa-
ciet, nunquam de possidendis aut opprimendis vicinis non cogitabit. Pro-
inde, qui pacem cum illo habere cupit, quamvis ab illo remotè positus sit,
bellum tempestivè meditetur. Qui vult periculum evitare servitutis, licet
pacis fœdera cum eo colat ab antiquo, arma nihilominus mature expediat,
militem alat, Castrensi disciplina juventutem imbuat. Et quia mutuis offi-
ciis res & regna efforescunt, præsentem occasionem non negligat, & sociali
fœdere reliquis Christianis Regibus junctus, sacram hanc expeditionem in
communem hostē suscipiat. Quia melius profectò nunc in usus bellicos æris
aliquid prosociorum salute contribuere, & suas vires universæ Christianorum

rei



tei commodare, quām à barbaro hoste, & iuris divini humaniq; prædone fa-
 cultatibus postea spoliari universis & coronā. Præstatque nostra capita do-
 mi censeri, quām foris à barbaris detruncati, aut jugo æternæ servitutis sub-
 mitti. Quandoquidem una victoria hosti concessa, quam nunc de Nobis
 barbarus terra marique meditatur, facile causa & aliarum fuerit amissarum.
 Subjugatisque quod Deus avettat, contra quos nunc insurgit ferocissimè,
 procul dubio in alios atq; alios exercitus suos promovebit: præsertim cùm nos
 domi dissidiis laborare adverteret; qui partim ob cultum & Civilitatem mo-
 tum, partim ob frequentiam ingeniorum, partim ob fortitudinis laudem,
 ac studii militaris peritiā superbire solem⁹, & unum alteri nationi anteferim⁹:
 obq; id demum ad disceptationes, odia atq; bella ipsa descendimus, à barbaris
 turpi tributo, aut pudendis pactionibus pacem emendicando. Sed quid nos
 nostrosque frustra falsis pacificationibus tamdiu decipimus? quid in media
 flammam otium & quietem amplius exspectamus? quid barbaros conjunctim
 omnes armis non petimus? Cur ab impiō securitatem, à perfido pacta, ab ini-
 sidioso fæderum firmitatē, & à sacrilegio jurisjurandi religionem exspectam⁹?
 Annon videmus, ut hisce superioribus mensibus, Polonum & Moscovitam,
 per suos emissarios Scytas Præcopenſes læsit? ut Imperatoris Germanici ha-
 reditarias ditiones invasit? ut in regnum Hungariae excursionem fecit? ut
 Venetos bello generali adoratus est? cum quibus tamen his omnibus fœdus
 antiquum colere simulavit, & pacta nuperrimè renovavit? Non igitur exspe-
 cendus est domi, sed infestandus est foris: nec metuendū, quod numerosa cum
 multitudine procedat, sed cogitandum, quomodo in partes distrahenda sit:
 neque certandum cum illo amicitiis & pactis, sed procedendum audacter ob-
 viam, labantiq; Reipub. Christiane quām primū subvenientum. Bellandum,
 bellandum cum hoc Dracone immanissimo, qui si hac præsenti occasione de-
 bellatus non fuerit, profectò animadversa socordiā & negligentiā nostrā con-
 tra Christianos nunquam quiesceret.

Tu verò, Pater Beatissime, prospiciens è specula, in qua à Dœo lumenum
 collocatus es, ut civilibus admodum bellis magis quotidie opprimimur, & in
 observandis rei bene gerendę in turcas occasionibus remissi sumus, divina tua
 autoritate ad retardandos illorum impetus, & debellandum eorum imperiū,
 universos Europæ populos concita. Principesq; Christianos, paterno affectu
 exhortare, ut tandem te monitore & Doctore sese recolligant, vindictæ studiū
 posthabeant, inimicitias omnes deponant, gloriæ & posteritati serviant, hosti-
 bus communibus occurrant & præmia promereantur in cœlis sempiterna.
 Quod dum lubens & pius feceris, nemo, credo, reperiatur tam excors, nemo tā
 inimicus

inimicus publicæ salutis & suæ, ut morte, quam debet nature, nō potius reddat Patriæ, & in cœlum statuat sibi viā salutis Christianorumq; nomen gloriosum sub Innocentio X. Pontifice Opt. maximo procuret effici cunctis amabile, cunctis admirabile, & hostibus Fidei formidabile ad omnem perpetuitatem.

D I X I.

SIMONIS STAROVOLSCII
ORATIO II.

Ad Principes Christianos,
*De Concludendo in Turcam sociali
fædere.*

SI quando vim eloquentiæ suæ, exercere debuissent Christiani Oratores, O Incliti Reges ac Principes Europæ, tum his deploratissimis temporibus maximè, quando vos implacabile odium invicem concipientes, tot jam lustra, bello intestino cruentissimo exardegitis. Non vos affinitatis propinquitas, non necessitudinis conjunctio, non fraterni amoris nexus, non denique Religionis & Sacrorum communio, aut Numinis reverentia cohibet, ut sanguinem Christianum nefariè & quasi per ludum fundere desistatis. Pudet miseretque videre, Christi genuinos imitatores, mente penè abreptos, contra se mutuò insurgeare, Catholicos ad invicē jugulari, fratrem in fratrem, amicū in amicum armari, vel ambitionis & cupiditatis, vel malignitatis & invidientiæ innatae causā. Interim verò, proh dolor, crudeles Getas, immanes Turcas, impuros impiosq; Mauros, fideliū invadere provincias, regna Orthodoxorum possidere, urbes evertere, maria infestari, devastari agros : Verosq; DEI cultores passim occidi, ac plebeum, Christo sacratam, in durissimam abduci servitutem. Quasi non satis superq; deliratum fuerit olim, cum Græci perseuerentur Latinos, Schismate in Ecclesia facto, & interim Persæ, Isauriq; Sarmatæ, Iberi, Bulgari, atq; Sarraceni Christianum occuparent orbem. Cum invicem fæse funesto aggrederentur prælio Orientis & Occidentis Cæsares, darentq; denuò, per id occasionem Gottis, Vandalis, Herulis, Hunnis, Cimbris, Longobardis, Normanisq; diripiendi Romanum Imperium. Cumq; in medio solo Italæ, de ejus solio decertarunt Hispani, Galli, Germani, fæseq; insuper mutuò interimerent Guelfi & Gibellini; Veneti & Prassini; Albi & Nigri; Columnenses & Ursini, atq; demum Sfortiani & Bracciani, funditus evertendo familias, domus & Civitates suas; creverunt per id tempus Mamaluchi, Tartari Nigritæ, Serifi, Mauri, atque Turce ipsi, quorum imperium discordia socrdiaque

diâque nostrâ, non ab imis ad media, ut aliorum barbarorum, sed penè jam ad summa videmus pervenisse. Ut hîc taceam remotiores ab oris nostris Monopotapenses, Mogorianos Zagathalos, & Arabes, qui in plaga Australi & Oriente, complures Christianorum nationes extinxerunt. Omittam & Hæticorum sectas, quibusvis circumcisus Musulmanisq; immaniores, variè inter se disseatas; Artianorum, Donatistarum, Iconomachorum, Albingensium, Husitarum, Luteranorum atq; Calvinistarum : qui in Asia, Africa & Europa Catholicam passim labefactarunt Religionem filiis etiam, ac parentibus non parcentes propriis, Et ut ita dicam, tacito quodam consensu conspiraverant, non jam ad evertendam Ecclesiam Romanam, quæ in Solida Christi petra fundata est, aut profanandum vetum Dei cultum, in animis rectè credentium, sed ad excidendum omnino universum genus humanum. Cùm oppres-
sis & occisis ubique Catholicis, semetipso quoq; Puritani, Zwingiani, Sacerdotali, Gomoristæ atque Arminiani, mutuo interimerent, mortuо viperino, postquam ab otiosis Syllogismis, ad crudelissima certamina ventum fuisse.
Quid Schismatici? Quid Apostatae? Quid Novatores? Quid Atheistæ & Pseudopolitici? Variiq; ac virulentiblaphematores, & Osores Catholicæ Ecclesiæ, Adamitæ, Nicolaitæ, Anabaptistæ, Stancarani, Picarditæ, qui passim colluvie perditionis hominum, in pernicien proborum piorumq; convocatâ, evertebant Urbes, devastabant agros, proterebant castra, delebant Principum exercitus, integrâq; regna devastabant. Quo pessimo malo, hodie dum nefarii homines infecti, cupiditatéq; prædæ illeæti, damnatas jam toties ab Ecclesia Hæreses, & Orco sepultas, iterum ab inferis suscitatas propagare aut defendere conantur. Alii verò professionis suæ Christianæ oblii; salutisque suæ negligentes, dum temere aberrantibus à fide patrocinantur, & se, nescio, quales Statistas vocant, Orthodoxorum nomen amittunt, factisq; improbis, impios Atheistas se commonstrant.

Ergo exsurgite animo, Principes Christiani, & nomen, quod vobis in sa-
lutem & tesseram mutuæ dilectionis assumitis, re ipsa approbantes, facis Au-
thorem imitamini Christum: si que verè Nominis illius, & gloriæ cum ipso
futuræ paticipes esse cupitis, divinis ejus mandatis obédite, & alterutrum di-
ligimini invicem. Deponite arma impia, Christianoq; nomine indigna; &
concordiam pacemq; ab ipso Salvatore nobis commendatam, uti veri ipsius
discipuli & sequaces, lubentes, libentesq; amplectimini. Exuite iras odiaque
fraterna, ut vetus quoddam vestimentum, squallidum & lugubre, & induit e He-
roica pectora vestra & arma, pietate & probitate carentia. Eradicate unani-
mi consensu suspiciones malevolas è cordibus vestris, & ferociam illam, quā
inter

inter vos decertantes animo imbibistis, convertite in Draconem illum Orientis immanissimum, tot regnum Christianorum Cadaveribus nondum exstatum, vestrisque adhuc regnis & provinciis inhiantem. Obtundite ac obturate os illius fætidissimum tormentis vestris bellicis infernalem fumum redolentibus, caputq; illius superbissimum concutite gladiis vestris fulgurantibus lanceisq; confodite. Atque Portam illam excelsam, qua gloriatur se diadematis vestris præcellere, terra mariq; aggredimini & fortibus dextris viā vobis per eam in Asiam aperite; & vindicate gentes gravi sub jugo Machometis gementes, Terramq; illam Sanctam, precioso Servatoris nostri Cruore nostri causā respersam, tandem aliquando in libertatem asserite.

Vos verò eruditi, eloquio clari, sapientiaque illustres viri, quantum ingenio valeatis, quantum polleatis doctrinā, quantumq; præstetis facundiā & suavi in dicendo persuasione nunc, nunc per Deum immortalem, dotes animi vestri atque vires exerite doctissimisque compositionibus sermonum, commendate Regibus potentissimis concordiam internam, pacem Principibus suadete, populis unionem animalium, mutuamq; charitatem instillate. Ostendite cunctis Christianorum gentibus dulces tranquillitatis publicæ fructus, utilitatem, decus, gloriā. Explicate provinciarū emolumenta, urbiū cōmoda, ornamenti regnum, famam immortalē dominantium: omniumq; demum præmia in cœlis sempiterna. Pacemq; illam desinere nesciam & destrui, ab ipso Salvatore pacificis promissam, insinuate eruditis orationib; vestris. Ego vobis oloribus tanquam anser raucus, sed utinam, vigilibus Populorum Capitolin⁹, ad excitandum præcinam: Vos, qui honestatis estis & pacis publicæ cupidi ausum supra vires vel tacito applausu promovete atque balbutienti Sarmatę favete, rogo. Quamvis itaque nemo dubitet, juxta sapientis Romani dictum, duo hæc vocabula, meum & tuum universum continuo turbare mundum: quæ & priscam illam Christianos inter se conjungere solitam charitatem subverterunt, & radicibus extirparunt. Solent attamen sæpius homines vani, proprij amoris sui causas, & alias quoq; diversas turbarum in populis causas dare: iij præsertim, qui in summo dignitatum fastigio positi, superbiæ vento facilè abripiuntur: aut qui summis illorum consiliis præfecti, æstu ambitionis exagitantur. Quibus nulla proorsus major voluptas esse potest, quam videre vicinos in calamitate & periculo: quam Principis confinis dignitatem imminent, existimationem violari, majestate in opprimi: quam Megistanes contumeliis affici, iniquè persecutionem pati, possessione spoliari, aut suo Dominio adjici, subjicive omnino. Atque ita præsenti hoc nostro seculo in omnibus ferè partibus mundi, ob istam malevolentiam elatorum ant inflatorum hominum

hominum vastantur passim opulentissime provinciae, diripiuntur florentissime
 Civitates, occupantur vicina regna & populi, rapiuntur diademata: miseriq;
 pagani & incolae omnes, tam a propriis militibus, quam ab hostibus spolian-
 tur, vulnerantur, occiduntur. Et Captivi multi Christiani a Tartaris, Turcis,
 Arabibus atque Mauris in æternam abducuntur servitutem. Cùm interim
 nemo sit, qui moveatur, qui condoleat, qui compatiatur, haut aliter, quam si
 ex eadem carne & sanguine non sint compositi? quasi non eodem de limo, de
 quo & Reges a Deo formati? sed alterius propaginis ignobiliores homines
 essent? quasi non sint fratres, non sint mutua inter se membra? Quod si reli-
 quas præsentium turbarū causas, ex privatorum odiis aut cupidate profectas,
 diligenter expenderem⁹, quot invenirem⁹ mala consilia? quot falsas sententias?
 quot injustas justicias? quot bona iniquè acquisita? qui tē probos injuriā diffa-
 matos? quot nobiles mendicantes? quot ex infima plebe ad summos honores
 proiectos, perq; fas & nefas magnas divitias corrādentes? Hinc, hinc est, ô sa-
 pientissimi Reges, quod in tota ferē Europa Pax non reperiatur, quia nemo sua
 sorte content⁹ vivit; quia per flagitia & illicitas artes homines ad honores gras-
 santur: quia in sceleratos non animadvertisit maturè: quia pro meritis & vir-
 tute, vix cuique ex æquo aut condigno assignatur præmium vel honor. Sed o-
 mnes penitus vexat miscetq; ambitio, avaritia, libido, maledicta lingua, atq;
 amor proprius, vobisq; Principibus, qui videmini præesse aliis, præsunt &
 dominantur flagitiosissimi adulatores.

Sed, quemadmodum in patentī & spaciose aliquo prato, variis atq; o-
 doriferis floribus consito, difficillimum est uno oculi intuitu discernere posse,
 quis omnium istorum florū pulcherrimus sit, quis maximè odoriferus &
 venustus, aut graveolens & nocivus. Ita cùm unaquæque gens peculiarem
 aliquam habeat suam præstantiam, & virtutes adnatas aut labes, singulæ aut
 bellica atq; fortitudine præcellere cupiunt. Variisq; nunc odiis concitatæ,
 armis inter se per Europam decertant; nec facile est divinare, quisnam popu-
 lis in hac concertatione æquoribus nitatur causis, justiusvè bellum cum vici-
 nis suis gerat? Cùm unusquisq; injuriā sese provocatum dicat, unusquisq; se
 æqui honestiq; rationem habere, vel jurejurando affirmet, proindeq; sibi tru-
 tinatis bene Politices arcanis & gloriam militarē, & justi cognomen, meritissimo
 adscribi putat. Præter quod omnes etiam Christiano se nomine ab anti-
 quo (licet Christū ipsum, Deum ab æterno aliqui non credant) insignitos affir-
 ment, Christiana pietate vivere simulent, Catholicam profiteantur religio-
 nem, prisca probitate gloriarentur, germanam animi generositatem præ se fe-
 gant, inde vel Angelis simili polleant: omnesq; & singuli de gloria conten-
 dant,

C

dant, laudem desiderent, & apud posteros famam expetant atque immortalitatem.

O Sancta contentio? si modò fraterno sanguine fœdata non fuisset. Christiani etenim, juxta Apostolum, fratres in Christo omnes sumus, illeq; primo, genitus inter nos, postquam nos morte sua filios Dei, heredesq; regni cœlestis fecisset. O pulchra æmulatio intentioq; uniuscujusq; laudabilis? si modò proximis nostris, quos Evangelii lege æquè ac nosmetipso diligere obligamus, in aliqua re non præjudicasset. Ac proinde excusatio quoq; præseuntium turbarum & bellorum per Europam videtur quodammodo viris Politicis speciosa. Et si non in cœlo, cœlorumq; Regi supremo, qui lanienam hanc abominatur, dupliceq; corde homines, dira Nemisi semper, et si paulò tardiore persequitur. Nostro tamen modo intelligendi, dum universa Regna Christiana consideramus, absque ulla exceptione prorsus, universos nos, istorum bellorum ac motuum Authores fateri debemus; idque adnata quadam inclinatione aut indole, quæ nos quietos esse non sinit. Quòd si etenim in singulis hominibus, in una licet civitate natis, varias esse corporis qualitates, variásq; complexiones videmus, ac exinde, diversas etiam animi dotes aut labes; An non multò majores animorum disparitates videre necesse est, in tam prolixa terræ plaga, qualis est Europa; Ubi tot gentes lingua, cœlo, habitu, victusq; ratione, ac modo bellandi differentes habitant? Quemadmodum ingenio unusquisque mortalium, alio atq; alio humore prædominante, abundant, moresq; ex eo for nando, magis se exercet in hac virtute, quam in illa, & aliis in alia. Sic & integræ gentes magis ad illam rem, vel ipso ingenio Duce, quam ad aliam procliviores, sive honesta illa sit, sive non item. Utq; defideratis potiantur privatis, potius rationes emolumenti, aut gloriæ spectant, quam universæ Christianæ rei. Hinc illa nimium solicita, statu sui conservandi diligentia & Zelus: Hinc ambitio dominandi cupida valde: Hinc propagandi suos fines perversa voluntas: Hinc subjugandi vicinos populos nefaria audacia, statimq; divinarum atq; humanarū legum contemptus, sacrorum irreverentia, pietatis & religionis neglectus, vivendi licentia atq; omnium deniq; vitiorum perturbationumq; ac discordiarum origo. His a. levissima sæpi ex causa enatis malevolorumq; hominum consilio & persuasionibus, dum Principes facile in ultiōne inflammantur, totus deinde bellis ardere consuevit orbis; ut omni frē seculo, res præteriorum regum revolentes, accidisse videmus.

Utque remotiora loca & tempora omittamus, Monarchiasque illas, Medorum, Persarum & Chaldaeorum, quarum nonnullam mentionem sacra quoque pagina habet, consultò nunc relinquamus (nam de Sinenium, Peruano-

anorum; Scytharum, Aethiopum, Japonensium, Siamitarum, Indorumque
& Abyssorum magnitudine, & imperii duratione, nulla penitus ad nos co-
gnitio devenit) viciniorum tantummodo populorum casus atq; occasus dili-
gentius perpendendo, quid aliud causæ reperias, quæso, quid tam citè perie-
xint, præter discordiam? Considera priscos illos Græcos, prudentia, eloquio,
bellandiq; peritiā, & fortitudine conspicuos, ut ab ignobili Macedonum po-
pulo primū, & à Romanis deinde possessi fuerunt; nonne ob civitatum ac
Principum suorum discordias periisse videbis? Quid eosdem iterum opibus,
vitibus, atq; gloria, post translatam ad se Romani Imperij dignitatem, vel ad
invidiam pollentes, ad tantam deniq; miseriam & servitutem adegit, ut per-
petuò nunc sub jugo barbarorum gemant? nisi eadem discordia Satraparum
& Nobilitatis. Quid Romanos ipsos stupendamq; eorum potentiam & ma-
gnitudinē evertit? nonne similiter discordia civium suorum & intestina bella?
Taceo hīc Ægyptū. Taceo Syriam, Numidas, Trapezuntios, Cyprios, Slavos,
Hungarosq; novissimè atq; Dacos, q; omnes vel Hæretici, vel Shismatici facti,
diviso senatu, distracto populo, sacris contemptis, Patriæ suæ acceleraverunt
Ianiatum, & gravissima nunc Ottomanorum servitute premuntur; non aliam
ob causam certè, nisi ob eandem regnum & provinciarum vastatricē discor-
diā. Ut igitur nihil est civili bello, inciviliq; dissidio pejus, ita nihil consen-
tione mutua, tanquam harmonia quadam concinnius, nihil concordia com-
mendatius, quæ unica laborantibus subvenit, periclitantibus patrocinatur, li-
bertatem servat, religionē auget, & quæ unica nos Deo hominibusq; commē-
dat: ut huic contraria seditio maxima quæque regna & imperia labefactat.

Unde vos quoq; reliqui bellicosæ Europæ populi, flos Christianitatis,
Martis alumni, mutuis inter vos persequentes bellis, quid aliud exspectatis,
Dracone nunc isto Orientis Crudelissimo in perniciem provinciarum vistra-
rum, cum numerosissimis Phalangibus suis, è specu illo Byzantino prosiliente?
Non veremini Sacrosanctum Numen, ne vos à suo conspectu Divino, ob fra-
terni sanguinis effusionem velut impium Cainum, ejiciat? novumque tutus
Attilam ad vos cum flagello mittat, qui morttem innocuè à vobis occisorum,
veluti Abel justi, sanguinem, vestro sanguine expiet? Non vos piget videre
florentissimam Candia Insulam, vestris in Oculis, vestrōq; in conspectu ab il-
la immanissima bestia Musulmanica jam jam devorari? quæ patrum aut avorū
nostrorum memoriā, æterna cum ignominia nominis Christiani, Methonam,
Coronam, Epidaurum, Rhodum atque Cyprum devoravit? tentavit & Meli-
tam, obsedit fortem fidamq; Viennam, Segetum, Themesuarium Taurinum,
Agriamq; possedit? Non vos afficit florentissimam totōq; Orbe celeberrimā

nunc, & priscis omnibus non modò parem, sed multis etiam de causis superiorem, Rempublicam Venetam, Imperantium Magistratam, Civilis prudentia Gymnasium, ocellum Urbium Orbis, Naturæ miraculum, & non mercimoniiorum tantum, sed ingeniorum atque libertatis emporium tota Europæ nobilissimum, vobis inspectantibus, à barbaris opprimi, Colonias Catholicorū ultra Sinum Adriaticum conculcari, plebemq; Christo devotam, in Isteria, Dalmatia, Illyrico, Albania, Rascia & Bosna proteri & prolsus annihilari? Nec denique vos pudet principem Christianarum provinciarum Italiam, nostræ Sanctitatis matrem, nostræ pietatis nidum, Religionis caput, officinam virtutum; omnium scientiarum & artium doctissimorumq; virorum altricem, atque totius amoenitatis, ingeniorum, honestatis, elegantiae & ingenuitatis speculum, quasi congaudentibus & perinvententibus vobis, de libertate periclitari deque sua securitate dubitare, maria & portus a Turcis, Maurisque infestari circùmque positas in Ægeo, Jonio, Tyrennōq; mari Insulas occupari? Atque tandem vosmetipso brevi post gravissimis periculis exponi, viciniam eorum timere, excusiones, oppressionem atque demum excidium continuo vereri. Abjecti profectò animi est ab hoste perpetuè se tueri domi, & extra Confinia sua nolle unquam proficisci. Quique salutem socrorum negligit, prodit eorum & suam, & domi exspectat, qui foris ociosè calamitatē intuetur alienam.

Quapropter nunc, quando jam non vicinitatis terrore, sed tubarum Turcicarum clangore excitamur, expurgescimini Heroes incliti, Semones Europæ, depositisque odiis internis, justas iras vestras in barbaros, qui vos oppugnant, quantocius convertite, arma assumite, Machometanos invadite. Et id deniq; bellum putate esse justum, quod est necessarium: cum indignum sit, barbaris eos subesse, qui soliti sunt aliis præesse; & eos servire servitatem, qui ad omnem natu & educati sunt dignitatem. Discordiarum vero atque praetensionum vestiarum causas, in aliud tempus rejicite; aut Oratoribus vestris, ad id deputatis, discutiendas committite consopiendasque assignate. Ipsí vero interim pacem, ab omnibus desideratam, concordiamque tanto tempore expectatam seriò inter vos concludite, colligatisque fœderibus firmate. Pacem, inquam, quæ Deum ipsum Autorem habet, quæ Christum Sponsorem & ternæ remunerationis pro se exhibet, comminatoremq; statim supplicij, nisi pacifici fieri velimus. Quod nimis nec filii Dei esse possimus in odio discordiæ manentes, nec fratres ipsius germani vocitari, nec hæredes denique cœlestis illius Hierusalem, quæ visio pacis dicitur. Fieri que non potest, inquit pacis Praecox eximus Theophanes: Ut pacis Authorem Christum in cor suum ulla ratione accipi-

accipiant, qui inimicitias quasvis ac similitatem in seipsis adversus aliquem nutriunt, nisi prius, tanquam mortiferum venenum, evomuerint illam abjecerintq; procul ab anima. Sed & Divus Antistes Hypponensis non nisi in charitate mutuoq; amore Christianum hominem salvari afferit, suumq; de eo discursum pacis commendatione concludit. Pax, inquiens, est Serenitas mortis, tranquillitas ani-
 mi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Qui igitur pacem ejus-
 modi in se non habet, verè Christianus dici nequit: cum aperte Apostolus do-
 ceat, Deum esse charitatem & non nisi in charitate mutua, aut amore recipro-
 co cum proximis suis manentem, in Deo manere, ejusq; gratia cœlesti per-
 frui. Quid ergo salubrius potest esse charitate? quid jucundius unione con-
 cordi? quid optabilius pace? quid desiderabilius dilectione mutua fidelium,
 tranquillitate Catholicorum, amore & concordia Principum Christianorum.
 O chara Pax & beata, quando te videbimus affliti, cuius nomen ipsum jucun-
 dum & suave probis! Quando te fruemur tempestibus bellorum jactati,
 cuius effectus etiam turbulentissimi hominibus utiles & amabiles ubiq;?
 Quando te publicari per regna & gentes audiemus, cuius possessio cunctis
 mortalib; desiderabilis, & ita salubris est, ut nocivum sint odia, rixæ simultates,
 lites, æmulationes, discordiæ, atq; demum ipsa bella: q; & omnē cursum vitæ
 præsentis infanant, & à vera beatitudine pacéq; æternam hominem excludunt?
 Nisi enim in unitate opus tuum feceris Deo, qui unus est, acceptus Deo esse
 non poteris, inquit Mellifluus Bernardus. Qui dulci sua suada, discordes tunc
 temporis Principes Christianos, feliciter ad Pacem & concordiam induxerat,
 Utinam complures nunc ejusmodi Bernardi consurgerent, discordes nunc
 temporis Principes nostros ad amplectendam pacem universalem quanto-
 cius suaviloquentia suā infleterent. Utinam redivivi cōparerent, potentes e-
 loquio illi Orechovii, Roxolani, Varsevicii, Cuspiniani, Boskqueri, aliiq; in-
 numeri pacis publicæ, & veræ gloriæ amantes viri, qui Europæos Reges ad
 unitatem animorum excitabant, inq; barbaros Turcas, Solimano illorum
 Tyranno nimium tunc grassante per Europam ad bellum sociale incitabant,
 conquitis undiq; fortissimis prudentissimisq; rationibus. Sed quas olim &
 Tullius ipse aliquatenus attigit, dum turbas execratus Civiles (quibus tandem
 perierat, & cum eo tota Romana libertas) concordiam maturo judicio suade-
 ret. Jucunda videlicet, quia bonorum omnium opulentiam & ubertatem
 adfert, salutaris verò, quia ab universa Patria damna & pericula removet. Ju-
 cunda, quia concordiam habere cum moribus probis singulos cives docet, sa-
 lutaris, quia litigare cum vitiis, & belligerare cum nostris cupiditatibus jubet.
 Jucunda, quia pro commodis & emolumento à privatis quibusvis etiam quæ-

ritur. Salutaris, quia ab omnibus, tam Proceribus, quam plebe pro timore diligentius servatur. Jucunda deniq;, quia amicitias, Clientelas & affinitates parat, salutaris, quia ab egestate & calamitatibus liberat omnemq; metum ab incolis & vastationem ab agris, urbibus, villis, & singulorum domibus amo-
vet. Hinc Bernardinus Senensis: *Cum hoc nomen Pax ore pronunciatur, copulantur labia, & os quasi quadam spirituali suavitate dulcescit. At contrà, cùm dicitur Bellum, os amarescit & quodammodo laceratur & laniatur.* Propriè, ut in desola-
tionibus provinciarū ipsi incolæ miseri, amaritudine ac dolore p̄funduntur,
cùm in conspectu ipsorum, ædes illorū incenduntur, bona dilacerantur, liberi,
parentes, uxores, à complexibus charorum suorum apelluntur, vulnerantur,
occiduntur, nullo habito respectu sexus, ætatis aut conditionis,

Igitur bellum, reipsa minimè bellum, vocemque ipsam absinthio ama-
riorem, ad Indos & Garamatas, ad Machometanos & Gentiles, ad Scybas &
Turcas, ad Mauros & Sarracenos relegemus. Qui verò Christi Deihuma-
nati, veri cultores sumus, cum Silio Italico dicamus:

*Pax Optima rerum,
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumbris melior, pax custodire salutem
Et cives aquare potens.*

Poteris & dissociatos Principium Christianorum animos nexu conjungere in-
dissolubili, ut concordes cuncti dicta die exercitus suos in Musulmannos mit-
tant, suspensi ad tempus inter se armis: fæderis verò diuturnioris stabiliendi,
locum & tempus triennale Oratorib⁹ suis, nutu & destinatione communis Pa-
tris Pontificis Maximi assignent. Interim verò singuli omni meliori conatu, &
potentia sua, bellū in Turcas pro gloria Crucis, pmoveant; Cassaq; jam meri-
tis cognomina sua & titulos rebus pReligione pclarè gestis felici exaugeant.
Et quas quisque armis suis provincias, Insulas, urbes aut regna capere poterit,
perpetuò posideat, stipulatione generali edita, verbo Regio, honore & fide.

Et Romanus quidem Imperator tanquam primarius Ecclesiæ Catholi-
cæ defensor & Advocatus ab hæreditariis Archiducatus sui provinciis, illuviae
paganorum evertens, Segetum versus, & in Dalmatiam exercitus suos promo-
veat. Suecos verò Austriam nunc, Silesiam Moraviāmque infestantes, Stri-
gonium versus procedere, Bulgariæque regnum ac Rasciæ bello aggredi
per suas ditiones cis Danubium transire permittat. Palatinumque Hun-
gariæ, adjunctis illi Bohemiæ & Silesiæ viribus, Budam rectâ & ultra in
Slavoniam procedere jubeat. Transsilvanus Princeps Themesuariam, Vara-
dinum, & quidquid à sua ditione Danubium inter & Cissam ayulsum est, stre-
nuē

nuē recuperet. Missiæ Regulus Brailoviam & quidquid Heraſſo fluvio adjacent. Moldaviæ verò Vaivoda Kiliam ad oram Danubii sitam fortiter invadat. Veneti, quorum nunc res agitur, firmatis præſidio Dalmatiæ viribus, portibusque reliquis Candia, viribus maritimis Cyprum inopinatō aggrediantur. Melitenses autem Rhodum Pontificiis Magnique Hetruriæ Ducis triremib⁹ auerti. Genuenses Sydoniam Phæniciamque à Sabando adjuti. Rex Christianissimus Ægyptū ac Præcipuè Alexandrię portum, quod & Turcæ ipsi antiquitus præſagiebant, sui Imperii occasum ab illo portu futurū; & quod in partibus illis, Francum nomen hodiedum omne bono formidabile sit cunctis. Rex Catholicus, Sicilianis Neapolitanisq; Liburnicis Tunetum, Hispanicis verò Algerium cæteraq; littoris Africani loca infesta bello reddat. Anglus, quia navium velocitate Septentrionalibus præstat, Syriam Palæstinamq; adnaviget. Danus Natoliā usq; procedat. Thæbatūmq; ruinas, & Lacedæmonis rudera perſcrutetur. Reliqui minutiores Dynastæ viciniorum Regum Castris suas legiones adjungant. Anziaticæ verò Civitates cum Batavis, Nigrópontrum aut interiora Græciæ petant. Principes Electores suum Imperatorem sequantur tanquam supremum Christianitatis Monarcham. At Magnus Moschoviæ Dux præter quod antè ſæpiùs à Scythis Præcopenſibus offensus, tum maximè his præteritis temporibus, inopinata illorum excursione ad injuriam provocatus eſt, Tauricam Chersonesum, uti cogitat, cum Deo bono, invadat. Quamq; haud ita pridem operā Cosachorum noſtratium Azoviam occupaverat, eandem iterum invadere conetur. Poloni Campeſtribus affueti pugnis, per patentes illos Bessarabiæ campos progrediuntur, captaque & in munitionem redacta Oczahovia, Moncaſtro, Thehinia, in Thraciam uisque & Silistriam caſtra ſua promoteant, Marteq; aperto cum barbaris more majorum ſuorum non extingueant, Cosachis mare Euxinum tentare uiffis. Artis enim eſt, nullum respirandi ſpatium dare ſemel infestare cœptis; & non modò terrā, ſed etiam Classibus per mare aduersarios oppugnare.

Universæ autem gentes Christianæ, ſacram hanc in Turcas & quosvis Machometanos Socios illius expeditionem uno, eodemque Mense ubique terrarum ex condicto incipient, quos Apostolica benedictione impertiet INNOCENTIUS X. Papa, & uti universalis Ecclesiæ Pastor, eosdem omnes ad fœdus hoc ſacrum; per ſuos legatos evocabit. Sicq; Numine favente. (quod niſi unitis animis fidelium exorari amat) formidabilis illa potentia Tyranni, qui paucis copiis vincere nescit, facile in plures partes diſtrahetur, minimè verendas Noſtris, qui Asiaticam mollitem horunt. Maximè autem, quod inops Consiliū

Consilii, ex novitate rei, diversitate bellandi, magnitudineq; periculi, facile
animo concidet; nec tam citò barbaro ingenio suo & agresti, aut nostras
vires pernoscere, aut suas recolligere poterit. Statim siquidem Tartari exer-
citus ejus pars potissima secernentur parte ab una, ac velut dextera manus sua
præcidetur à Polonis, nec augere castra Tyranni jam poterunt, prohibiti
transitu Borysthenis, occupatiq; domi suæ à Moschis, qui cis Tanaim copias
suis in eos ducent, Africanæq; naves classem suam juvare solitæ parte ab al-
tera separabuntur. Nec audebunt certè in Mediterraneanum prodire, Hispa-
nis circa littora sua navigantibus, quæ semper manus sua sinistra erant, quoties
ille in Christianos expeditionem movisset. Caput petent Constantinopolim
Cosachi, partim Helespontum adnavigando, commeatúsq; ex Asia eò deferri
prohibendo; partim portus illos, qui in mari Nigro præcipui sunt, hostiliter
invadendo arcendoq; materiam deferri in urbem pro instruenda Classe,
Quos verò boum greges & armenta ad Portā Ottomanicam Slavones, Hun-
gari, Valachiq; ac Daces pro usu Aulæ Tyranni mittere quotannis consue-
verunt; tum farinæ, Cerae pisciūmq; quantitatē ingentem, hoc totum di-
ripiet levioris armaturæ Equitatus Polonicus, & in sui Regis Castra divertet;
vel etiam ipsi met populi, hæc tribuere sueti, denegabunt per se, exciti aut pre-
moniti belligerantium Principum apparatu. Qui, inquam, Principes, Persa-
rum quoque Sophim meminerint ad belli societatem evocare, sollicitaréque
cautè per suos emissarios Armenos Georgianosq; ad rebellionem. Tum E-
mirum quoq; Maronitarum monti Libano dominantem. Qui si armis pe-
cuniāq; adjutus, Arabes etiam de regione Petrea conglobasset, paucos intra
dies Europæis ad possidendam Acri, Scidam, Berytum capiendamque Antio-
chiam atque ipsam Ptolemaidem, viam aperuisset. Essenæq; civitati, Dama-
scō & Cairo dari ex Mesopotamia & Babylone subsidia omnino prohibuisset,
Ante omnes verò sollicitandi sunt Ragusæi cautissimè, ut Christiani nominis,
pro quibus se gerunt, memores, universas naves suas ad insulas Christianorum
ablegent, nec præstent Turcis operam suam in transportandis militibus aut
commeatu ipsorum in Candiam. Græci quoque passim ad tumultus in me-
ditullis Imperii Turcici concitandi sunt, armâque & Machinæ bellicæ illis
subministrandæ, quibus se tueantur à vi barbarorum, aut illis eam inferant, ad
tributa annonamque præstandam adacti. Deniq; Dardanellos quām primū
occupare studeant, qui & virium ad invadendum, & ingenij ad retinendum
plus cæteris se habere putant, quod scilicet forti cum præsidio considentes ibi,
strictum mare illud claudant, ac quasi fauces Draconis illius Orientalis præfo-
care queant. Hoc enim illud tempus nunc adest, quo periti Astrorum Impe-
rio

tio Turcico periodum assignant: quo gens ipsa superstitionis malè sibi
ominatur, & excidium præfigit, & quo viri Politici quoque ob remissiorem
militiae ipsorum disciplinam hanc potentiam mole sua jam correre certissi-
mè prævident. Nam & dapes exquisitiores nunc jam querunt, solá verveciná
aut bubulá olim contenti (qui & domi alia legumina haud noverant) præter
orizam aut similam & vino pâssim fere usq; ad ebrietatem ingurgitantur, solá
frigidâ uti à Machomete jussi, Quam nunc odoribus saporibusque diversis
preciosissimis condunt. Et quod ab antiquo vel cogitatu nefario lædere ve-
gebantur, hoc jam Numen Tyranni sui non lingua tantum procaci, sed manu
quoque profana violare audent. Amantque etiam & lucra, quod Pseudopro-
phetæ suis legibus vetitum omnino habebant: delectantur spectaculis, bal-
neis & Musica; equitationem verò & decursus relinquunt; attendunt ad mer-
caturam, lanificium & agriculturam, arma verò negligunt & navigationem:
omnesque artes pacis magis estimant, quam studium belli, qui nusquam à
præliis quiescere debuerant. Unde non est ea, quæ existimatur, Turcæ poten-
tia; certum est, magnam partem exercitus illius milite tumultuario constare,
qui nulla juris iurandi religione adactus est, nullo certo studio conductus; men-
te levissima, corpore laboris & injuriarum cæli, uti bello Chotimensi vidimus,
impatientissimo, atque exinde, animo à virtute alienissimo. Prædam, non victo-
riam sequitur multitudine, non virtute vincit, Ordinem in acie non servat, di-
sciplinam odit, æquitatem nescit: Latro & siccarius potius, quam miles & bella-
tor appellandus. Contra quæ si firma & exercitata sit militia, non esset dubitan-
dum, quin vinci potius, quam vincere possit, ut qui dote nō exspectata amissi-
one in acie, fugam corripit & Castra signaque sua deserit.

Quapropter, Sacratissime Cæsar, Serenissimi Reges, Principes & Dy-
nastæ Potentissimi, macti animo estote, en ultrò sese vobis ad gloriam & im-
mortalitatem occasio coniuncta offert, ultrò favor cœlestium influxionum
invitat. Nec deerit ipsius Regis Cælorum, si pio affectu ejus causam promo-
vere haud negletis, si concordibus animis in id totas vires vestras intende-
tis, ut Religionum libertatem, gloriamq; Crucis propagare quam maximè
possitis. Si Christi Dei sepulchrum populosq; Turcica servitute oppressos
vindicare velitis, si à vestris, vestrorumq; subditorum cervicibus, acinacem
Ottomanicum removere cupietis. Dabit Exercitum Rex victoriam, cuius
bella bellabitis. Dabit prosperitatem Dominus, cuius honoris studebitis.
Prospiciet de cælo & avertere pericula à vobis, qui per unum Angelum suum
castra olim Senacherib evertit, omnesq; Syrios una nocte delevit, vestrisq;
ex militibus unus, ope illius adjutus, persecetur mille; & decem millia ca-
dent

D

dent à dextris unius Herois Catholici. Modò vobis proponite ob oculos
decus immortale, famam immarcescibilem, meritumq; in Cœlis sempiteli-
num, quod vos verè victores constituet, & inter beatas illas mentes cum
palinis æternum triumphatores faciet. Interim verò Pontificiâ columbâ ra-
mum olivæ signum pacis ad vos deferente, omen palmæ victoris læto ani-
mo accipite: & unusquisq; vestrum accingat se ad opus, quo titulos vestros,
vestramq; gloriam rebus fortiter gestis exaugeatis. Quia tum demum verè
se Imperatore Christianum Cæsar Germanicus ostendet, cùm detracto Dia-
demate Orientis Tyranno, Græcanicum quoq; imperium, ad Romani de-
nuò Imperatoris sceptra reduceret, conculcataque Cydari Musulmanica re-
gnata à barbaris regna in libertatem Christianam afferet. Gallorumq; Rex
victoriis olim de infidelibus toties reportatis, velut liliis decorus, tum de-
mum Christianissimi cognomen, quod promeruit, illustrius in orbe Christi-
ano efficiet, cùm formidabile barbaris Francum nomen, iterum in Oriente,
excitat ac veluti redivivus Gotifredus Turcas tota Palæstinæ ejiciet. An-
glus, qui tempore sacræ expeditionis Hierosolymitanæ, Defensor religionis
audiebat, iterum promerito titulo glorioius gaudebit, si veloci classe sua
denuò hanc sacram expeditionem in Turcas amanter juvare volet. Tum
Baltico quoq; mari incubans navibus suis Danus, si adeò potentiam suam in
Chersoneso Peloponesiaca exseruet, ut in Cimbrica exercet, formidabilior
pfecto Machometanis Regib⁹ erit, quam unquam Hamburgensisibus aut Lu-
becensisibus existit: multoq; celerior in plaga Australi, aut Oriente erit,
quam in Septentrionalibus insulis quibusvis, Gruenlandiā suā remotiori-
bus. Hispaniarumq; Monarcha, eti ubiq; terratum assiduò pro augenda
Catholica Religione desudet & Orientales æquè ac Occidentales Indias ad
Christum perducere indesto studio conetur, majus attamen meritum habe-
bit, si remotioribus ad tempus Gentib⁹ postpositis viciniora sibi regna Tessa-
rum, Marochiorum Numidarumq; curanda hac in parte assumet, utq; Ca-
tholici agnomen ex eo promeruit, quod Catholicam ubiq; religionem in-
ducere conatur, laudabilior nihilominus in Orbe Christiano apparebit, &
absq; ulla vicinorum obtestatione aut invidia regnabit, si ex eis Catholi-
cæ professionis Principes, suo exemplo, in vicinos nobis Turcas armatos
pertrahet. Polonus itidem verissimam sui denominationem, quam à Pole
seu Campo patenti derivatam habet, gentibus universis declarabit, si suscep-
pta hac expeditione sacra in patentibus Thraciæ campis tentoria suadis-
tet, animoseq; ut assolet, protius Christianitatis in columitate, Marte a-
perto cum barbaris Musulanis decertabit, ulturus manes gloriosos ULADIS-

LAK



L A I I X I . fortissimi olim Sarmaticæ gentis Herois, pro Nominis Christiano apud Varnam à Tureis occisi. Præpotentes confœderati ordines, quid vi-ribus suis valeant, tum demum Orbi innotescer Christiano, si qua Clæte Americam & Orientis Insulas infestant, ea Constantinopolim usq; missa in Pontum Euxinum navigationem tentarent, utq; circumnavigato Arctico per mare glaciale, in Sinarum regna transire conabantur; sic Hellesponto superato, veteres Colchos & Trapezuntii imperium inviserent, & bætras utilius pertingerent: cæterasq; Ponto adjacentes regiones nobis aperirent. Serenissimæ demum Republicæ Italicae, Veneta & Genuensis, maritimis vi-ribus illustres quondam & metuendæ, laudabilius certè cunctis nationibus innotescerent nunc, si concordibus animis, id à barbaris recuperare adniten-tur, quod olim per discordiam, maximo cum danno & macula nominis Christiani amiserunt.

Quod igitur Apostolus quondam ad Corinthios scribens, ut in unitate dilectionis fraternali, professionisq; Orthodoxæ manerent, in Epistola sua effatus est, hoc ego sermonem meum ad vos claudens, & quasi conjurans, ut mutuo in amore atq; charitate maneat, ô Principes Piissimi, dico: *Obse-cro vos, fratres, per nomen Domini Nostri Iesu Christi*, ut id ipsum dicatis omnes (scilicet, Pax, Pax omnibus Christianis: Pax omnibus populis Eu-rope: Bellum & ruina Turcis: excidium funestum omnib⁹ Machometanis) Et non sint in vobis schismata (Hoc est, diversæ opiniones in Religione: diversæ voluntates à bono pacis) *Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia aggrediendi*, videlicet barbaros, liberand:q; nationes, Christianis olim Imperatoribus subjacentes, à gravissima Tyrannide Ottomanigenarū. Sed hoc in primis recordamini efficere in vobis, q; Magister no-ster Christus de mutuo conservando amore omnibus nobis injunxit, hanc summā doctrinæ suæ apponens: *In hoc autem cognoscet omnes, quod mei sitis discipuli, si dilectionem ad invicem habetis*. Sine ista etenim Christiani dici non meremini: sine ista, hostib⁹ fidei terribiles nullo modo esse poteritis: sine ista, nescio, quonam modo ipsum etiā Deum precib⁹ vestris adire possi-bile erit, cùm non nisi congregatis in unū se ad futurum promiserit, non vero dispersis voluntate, opinionibus, numero.

Agite igitur animæ felices, agite Pastores Populorū, & diligenter p officio vestro animadvertisse, ne sanguis Christianorū amplius inter vos effundatur, neve ultra inspectantibus vobis & pro injuncto munere non curantibus grec Christianorum & provinciæ catholicae diripiatur à barbaris. Attende, quid Ethnicus Poëta dicat, & suffundite vos rubore.

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Quam

GK
III
6170

Quam itaque veram lætitiam, quam animi satisfactatem aut quain mentis tranquillitatem habere possunt illi, qui bello fraterno agitantur, meditanturve impiè domesticæ dissensionis causas? Quam serena conscientia, & vultu haud mentito possunt alloqui amicos, consiliarios, sacrorum Myſtas? quomodo audent cogitare Deum, adire templa, libare Mysteria? quomodo volunt expiare crimina, impetrare veniam, curare denique salutem? cum optimè sciant, bellum, quod suscepérunt agendum, & sibi & aliis esse plentissimam ad mortem semitam, unde revocare gradum nemini fas est: Pace in autem ad omnem felicitatem & prosperitatem vitæ ut luculentissimam, ita ipsis improbis optabilem viam, qua non datur mobulentis ad beatitudinis culmen pervenire. Bello siquidem intereunt omnia & consumuntur, que possidentur bona; pace vero augentur & conservantur universa: Bello desolantur agri, vastantur urbes, evertuntur funditus regna; pace excolitur terra, edificantur domus, exstruuntur civitates, firmantur, augmentur & resplendent imperia: Bello interierunt Thœbœ, Athene, Sparta, Cartago, Troja, Corinth⁹, Hierosolyma, Saguntum & Roma; Pace creverunt Venetia, conservata Thlascala, acquisivitq; famam Amsterodamum, magnitudinem suam Moscovia, populationem Lutetia, mercaturam Londonū, Opes Genua, divitias Marochium. Pax igitur, ô Megistanes Sapientissimi, quæ ornat imperia, quæ exauget regna, quæ parit opes, gloriam, decus, & honores, preferenda est bello, quod omnibus his spoliat Republicas & populos opulentissimos, barbariemq; & solitudinem inducit. Pax, quæ gignit attes, & rerum omnium ubertatem, exoptanda est cunctis, quam bellum vorax, quod consumit omnia & destruit elegantiam. Quapropter à cultis & politioribus semper immetur strepitus belli, classicumq; ipsam perterritur facit probos omnes: pacis vero & tranquillitatis vel sola spes jucunda sit cunctis; nullaque vox solet esse gratioꝝ acribus nomine pacis.

Securus placida mundus sub pace triumphat,

Tranquillum est summi pax opus almae Dei.

Pacem itaque ô Reges & Principes Christiani, inter vos concludite, ut bellum, pacis assequendæ causâ, eo alacriori animo Turcis inferatis. Pacem, ô Docti atq; Eloquentes viri, Principib⁹ & Dynastis, eruditissimis scriptis vestris insinuate, ut in pace fortia illorū facta, eò securi⁹ scribere valeatis, Pacem, ô Myſte sacri, supplices è coelo exorate, ut nomen servatoris Christi, qui nō est Deus dissensionis, sed Deus pacis, eò felicius in tranquillitate, gentib⁹ paganorum prædicetis. Pacem, ô cuncti Fideles, à pacis largitore Deo poscite, ut in pace vitam degentes præsentem, ad bravium supernæ vocationis, ubi est vera pax nostra Christus, decurrere possitis. Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem, ô quicunq; nomine Christiano censemini & dicite corde ac labio unanimi, Fiat pax in virtute tua, ô JESU REX PACIFICE, in tota Europa & in tota Christianitate, D I X I.

Vd17

AC

Q.K.
404
17

X 190

SIMON

AD
C

De Pa
Bell

PR



LSCI
IPES
S
henda
lo
ON.

